
Philosophia.

Broscii (Joan): Peripateticus Cracoviensis

Crac. in off. Franc. Caesarii.

Matem N 272.



Vulgaris hic oculus caligabit
diffidetq; plurimum.

PERIPATETICVS CRACOVIENSIS

A

IOANNE BROSCIO
CVRZELOVIENSI

productus.

Cum Superiorum consensu.

CRACOVIÆ,
In Officina Typograph: Francisci Cæsarij.

Approbatio.

Scriptum Adm. R. D. IOANNIS BROSCII, Præpoſiti Miedzyrzecen. & Staſzouien. intitulatum PERIPATETICVS CRACOVIEN. contra Nouatores planam & ſanam doctrinam Ariſtotelis, ac receptam ab Eccleſia Catholica conuellentes, & opinionibus nouis, viam ſectis innumeris ſternentes, (*vel* certitudinem ſciendi tollentes) Ego M. IACOBVS VITELLIVS S. Th. D. & Profeſſor, Eccleſiæ S. Floriani Decanus, interea Academiæ Cracouien: Rector legi; cùmq; nihil in eo Fidei S. vel moribus bonis oppoſitum reperi: imò omnia ad veritatis antiquæ, & tot ſæculis confirmatæ, defenſionem comparata; Ideò facultate mihi à Superiori officio permiſſâ, vt imprimatur conceſſi. Datum in Collegio Maiori Academiæ Cracouien. 22. Octobr. Anno Domini 1647.

IOANNES BROSCIVS CVRZELOVIENSIS Lectori S.

COllegi LECTOR aliquot præſtantiſſimorum authorum loca de Oculari Demonſtratione. In iſtis autem authoritatibus rationum momenta conſidera. Breuiùs hæc comprehendi poterant: verùm, quia Studioſi Philoſophiæ pauci Bibliothecas habent ſufficientes,

præſtiterat ſententias integras deſcribere potiùs, quàm eos ad voluminum lectionem ablegare. Vale & illud, quod in Academia Pariſienſi aliquando pronunciatum eſt, ante oculos & in mente ſemper habeto:

Doctrinam veterum antiquam reuocare cadentem
Id verè humanum, eſt laudis & ampla ſeges.

Cracouiæ Kalend: Nouembr. 1647.

PERI-

PERIPATETICVS Cracouienſis.

1. INgenioſum & ſubtile experimentum exhibuit nuper Sacræ & Sereniſſimæ Regiæ Maieſtati, R. P. Valerianus Magnus, quo oculariter demonſtraſſe viſus eſt 1. Locum ſine locato. 2. Corpus ſucceſſiuè motum in vacuo. 3. Lumen nulli corpori inhærens. Præclarum inuentum, & vt opinatur minax in Ariſtotelem.

2. Quid igitur hic dicemus Peripatetici? An ſolam huic experimento authoritatem Ariſtotelicam opponemus? Poteruntné Ariſtoteli & eius imitatoribus deeſſe rationes? Sanctæ memoriæ VLADISLAVS IAGELLO in Studio Generali Cracouienſi ſex inſtituit Regios Profeſſores, quibus non De-

mocriti aut Epicuri atomos & intermundia, non Pyrrhonis aut Sexti incertitudinem, aliorumuè Philosophorum varietatem, sed Aristotelis omnia volumina proposuit explicanda. At ex Aristotelis institutione Alexander Magnus ad totius Asiæ imperium, quàm feliciter aspirauit! vt non sine causa Aristotelica via Regia via appelletur.

3. *Etsi verò sua laus Oculari Demonstrationi tribuatur, non tantùm apud Comicos, vbi ille ait; Semper oculatæ sunt nostræ manus, credunt quod vident; cætera quæ volumus Græca mercamur fide: verùm apud grauiores Poëtas, siquidem*

Segnius irritant animos demissa per au- (res
Quam quæ sunt oculis subiecta fidelib⁹:

Philosophi tamen in rebus naturæ obscurissimis, præter sensibilia experimenta, demonstrationes mentis & intellectus quærunt: Rectè enim dicitur illud,

Menti

Menti cũm Mens sit Iuppiter ipse fauet,

4. *Concludit Pater Valerianus*: Putasné istis Demonstrationibus Ocularibus iri fractum Physicam Aristotelis illisam fistulæ vitreæ? *Quamuis non sit Philosophi dicere* NON PVTARAM, *vt communiter aiunt: tamen in Schola Peripatetica Physicis & Mathematicis rationibus bene fundata audacter (quia rationes non desunt) pronuncio* NON PVTO *demonstrationibus istis ocularibus Physicam Aristotelis illisam fistulæ vitreæ fractam iri.*

5. *Alexander Magnus nodum Gordium soluerat non vitreo sed ferreo gladio: Aristotelis autem acroamaticos libros tanta arte conscriptos, vt editi & non editi, haud data scriptoris opera, sed ob rerum naturæ obscuritatem, censeantur, vitrea fistula dissoluet?*

6. *Non molestè feret R. P. Valerianus, si expectamus adhuc inquirentes: An*

non solidiore materia opus sit ad Aristotelicam structuram dissoluendam. Quandoquidem ipse veretur, ne subsit error; in rebus naturæ obscurissimis, quod ingenuè agnouit Aristoteles. Patrum nostrorum memoria in Academia Parisiensi Petrus Ramus quid non mouit contra Aristotelem? adeo quidem vt eius sectatores comparationem Aristotelis & Rami instituere non sint veriti.

Magnus Aristoteles quid Ramo distet acuto
Forte rogas? paucis accipe vera loquar:
Vnus vtriq; scopus sed quâ quis peruenit illo
Vna per ambages altera recta via est.

Sic illi: attamen demonstrauimus geometricè in Apologia pro Aristotele & Euclide, viam Aristotelis rectam esse, Rami multis ambagibus intricatam.

7. *Itaque si olim ad sacra quædam Græcorum nonnisi initiati admittebantur; cur nos ad grauissimam Aristotelicæ Philosophiæ structuram illotis vt aiunt manibus, nec ijs probe ad ignem iudicij*

exa-

examinatis, quæ ad Philoſophiæ ſacraria prius fuerunt præmittenda accedamus? Neq; enim fruſtra Ariſtoteles acroamatica ab exotericis diſtinxit: ad hæc quoſuis; ad illa nonniſi ſelectos & probatos admittebat.

8. *Quamobrem ne aliquid quod maximè neceſſarium eſt prætermittamus, quia* R. P. *Valerianus ſupponere videtur,* Demonſtrationem ocularem *tanquam infallibilem, aliqua non leuis momenti videntur inquirenda.* Ordinis *rationem monſtrat iſte Syllogiſmus.*

Qui demonſtrat oculariter eſſe Vacuum & alia quæ conſequuntur, ille verum dicit, & per conſequens eſt illi credendum.

Sed R. P. *Magnus oculariter demonſtrat eſſe Vacuum, & alia quæ conſequuntur.*

Ergo R. P. *Magnus verum dicit, & per conſequens eſt illi credendum.*

Maior Propoſitio *eſt oculo mentis*

perlustranda, ne nos aliquis connumeret cum equis & mulis quibus non est intellectus. Vides enim in hac Propositione vim esse præcipuam, antequam aliquis ad experimentum respondeat.

9. *Ac licet aliorum atque adeò R. P. Valeriani alia sit ingenij conditio, nos tamen Peripatetici sub authoritate Magistri in Schola non tanquam serui & mancipia, sed tanquam discipuli rationabiliter permanemus: Siquidem*

Plurima discentem se consenuisse professus
Nullius ore probi probra Solon meruit.

10. *Agite iam Auditores. Cùm liceat nobis in Galeni Lectorio propositas quæstiones in vtramq; partem disputare, vtamur nostra libertate. Tam enim oppugnamur à disputantibus affirmantes, quàm negantes Dari Vacuum. Vetus ista consuetudo est, & à magnis laudata authoribus. Verùm in disputando seruemus modestiam. Nam si pro rationibus imperiosa dicteria obijciamus,*

quod

quod ambitiosi disputatores solent vsurpare, certamen hoc erit, non ad inquirendam veritatem, sed ad victoriam quouis modo obtinendam.

11. Ioannes Picus Mirandulanus Phænix ille literatorum auorum nostrorum memoria, etsi disputator subtilis & vehemens esset (id quod noningenta illius problemata Romæ ad disputandum proposita, & anno ante per vniuersum Orbem Christianum missa satis indicant, cùm se peregrinis eius gratia eò venturis sumptus refusurum principali magnificentia polliceretur) ad extremum tamen Theatrales disputationes ad ostentationem tantùm factas damnauit, quod non tam ingenia acumine exercerent theorico, quàm fumosa replerent pertinacia: cum gladiatorio tantùm animo ad vincendum potiùs, quàm ad docendum discendumué pleriq; accederent. Aiebat quoq; eas disputationes prodesse, quæ placido animo ad in-

ad inuestigandam perquirendamq; veritatem priuatis in locis, semotisq; arbitris exercebantur. At illas obesse plurimùm, quæ in propatulo fiebant ad ostendendam doctrinam, vel ad captandam vulgi auram, atq; imperitorum applausum. Vixq; fieri posse omninò censebat, vt honoris cupiditati, qua effrontes illi disputatores exagitantur, inseparabili vinculo connexum non sit illius cum quo disputatur desiderium infamiæ confusionisq;, lethale vulnus animæ, & venenum charitatis mortiferum.

A nobis hoc absit. In veritatis enim Schola, & vinci & vincere pulchrum est.

Proteſtatio.

12. *Quia verò R.P. Valerianus in principio Demonstrationis ocularis inquit:* Edidi tractatum de luce mentium, ſub cuius radio non adeò multi exultant, cæteris cæcutientibus ex intuitu tanti

tu tanti fulgoris: *Quosnam in isto vestibulo notet, ignoramus. Nam quod ad nos attinet, quotidie ac in momenta quantum per Dei gratiam possumus ad illam lucem suspiramus:*

O lux beatissima, reple cordis intima,
tuorum fidelium:

Sine tuo numine, nihil est in homine,
nihil est innoxium.

Vt in omnibus nobis, iuxta nostram capacitatem, non sit vacuum iuxta illud: Spiritus Domini repleuit orbem terrarum: *quandoquidem & Beatissima Deipara Virgo, plena gratia ab Archangelo salutatur: cui Pater Valerianus ex voto obtulit hoc suum inuentum. Sub hoc quoque nos præsidio labores nostros qualescunque, serui licet inutiles, cum omni, qua decet reuerentia deponimus. At vt persistamus in Philosophica consideratione placet iam quærere.*

An Demonstratio Ocularis fallere possit.

Rationes breuiter consignemus.

13. *Optica quid aliud demonstrat quàm fallacias, quæ contingunt in visu? Consulantur Alhazenus, Vitello Thuringopolonus, Guidus Vbaldus, Franciscus Aguilonius, aliiq; præstantissimi Authores.*

14. *Oculus noster in terra positus, aliquando videt in cælo Lunam Saturno coniungi. Saturnus autem multo ampliore interuallo distat à Luna, quàm Luna à visu nostro.*

15. *Itaq; verè Philosophico iudicio Cicero in libris de Diuinatione contra Chaldæos pronuntiauit:* Oculorum fallacissimo sensu iudicant, ea quæ animo potiùs & intellectu videre debebant. *Vides quàm diuersa sint Ciceroni: Oculorum fallacissimo sensu iudicare,*

care, ab eo quod est, animo potiùs & intellectu videre.

Vlteriùs verò progrediamur quærendo.


An Demonstratio Ocularis in rebus Geometricis fallere possit.

16. *Dibuadius in decimum librum Euclidis ad p. 2. ait: Omninò tàm Lynceus, quàm lippus propositas quascunq; magnitudines pronuntiaret commensurabiles, si mechanicè per contractionem & diductionem crurum circini commensuratio esset inuestiganda.* Itaq; *concludit Eruditi esse non mechanici commensurationem & incommensurationem inquirere. Ad hoc sanè est* ἀριθμητικὴ ἀκριβέστερα γεωμετρίας, *si dignè tractentur in Abaco numeri sine vllo vel* διανοίας *vel* ὀφθαλμοῦ *vitio.* Exem-*pla apud eundem Dibuadium vide, &*

apud

apud Aristotelem de latere & diametro quadrati.

17. *Ioannes Dee Londinensis ingeniosissimus Philosophus & Mathematicus (qui à peregrinatione Græca reuersus cum multis bonis manuscriptis voluminibus, Cracouiensi Bibliothecæ donauit Boëtium de consolatione Philosophiæ à Maximo Planude in Græcam linguam ex Latina conuersum, Rectore tunc Martino Pilsnensi munus hoc gratissimo animo excipiente) scribens de Monade Hieroglyphica, ad finem libri addit Symbolum hoc Geometricum.*



Vulga-

Vulgaris hic oculus caligabit diffidetq́; plurimùm. Hæc ille, loco citato.

18. *Sanctus Augustinus nunquam sine honore nominandus lib: 2. de Ordine, dum tractat subtiliter & perspicuè de disciplinarum excogitatrice ratione inter alia capite xv. postquam de Musica disseruit, conclusitq́:* Quia Iouis & Memoriæ filias Musas esse confictum est, ideo illam disciplinam sensus intellectusq́; participem Musicæ nomen inuenisse: *addit quæ sequuntur de Geometria.* Hinc est profecta (*ratio*) in oculorum opes, & terram cælumq́ue collustrans, sensit nihil aliud quàm pulchritudinem sibi placere, & in pulchritudine figuras, & in figuris dimensiones, & in dimensionibus numeros: quæsiuitq́; ipsa secum: Vtrum ibi talis linea, talisque rotunditas; vel quælibet alia forma & figura esset, qualem intelligentia contineret. Longè deteriorem in-

uenit, & nulla ex parte quod viderent oculi, cum eo quod mens cerneret comparandum. Hæc quoq; distincta & dispofita in disciplinam redegit, appellauitq; Geometriam. *Ergo Sanctus Doctor distinguit sensibilem circulum ab intellectuali: aliasque formas Geometricas.*

19. *At idem S. Doctor in Astrologia motuum consideratricè eodem modo sensibilia ab intellectualibus disterminat. Locus est vel auro scribi dignus.* Motus eam (*id est rationem*) cæli multum mouebat, & ad se diligenter cõsiderandum inuitabat. Etiam ibi per constantissimas temporum vices, per astrorum ratos definitosq; cursus, per interuallorum spacia moderata intellexit, nihil aliud quàm illam dimensionem numerosque dominari. Quæ similiter definiendo ac secernendo in ordinem nectens, Astrologiam genuit, magnum religiosis

ſis argumentum, tormentumq́ue curioſis. In his igitur omnibus diſciplinis occurrebant ei omnia numeroſa, quæ tamen in illis dimenſionibus manifeſtius eminebant, quas in ſeipſa cogitando atque voluendo intuebatur veriſsimas: in his autem quæ ſentiuntur vmbras earum potiùs atque veſtigia recolebat. *Hactenus Doctor ſanctiſſimus.*

20. *Si igitur in rebus Geometrica neceſſitate demonſtrabilibus oculares demonſtrationes fallunt: ſi in his quæ ſentiuntur, vmbras tantùm rerum & quædam veſtigia conſectamur, quid iudicandum erit de rebus naturalibus, ſi pergamus inquirere.*

An Demonſtratio Ocularis in rebus Phyſicis fallere poſſit?

1. *An fruſtra Ariſtoteles diſtinxit inter nota nobis, & nota naturæ?*

22. *An vt vna hirundo non facit ver, ita nec vnum experimentum constituit aut euertit Philosophiam? Hippocrates in primo aphorismo vocat experimentum periculosum, quod Heurnius vertit empiricam periclitationem periculosam. Petrus Montis quem conuertit G. Ayora Cordubensis de Hominum natura lib.1.cap.19. non sine graui iudicio distinguit experimentum ab experientia. Nonnulli (inquit) satis ineptè experimentum pro experientia sæpè intelligunt, quorum nomina quamuis cognata, & iudicentur & sint, res ipsæ sub ijsdem nominatæ, non breui numero differunt. Aliud siquidem fabricare, fabrum itidem aliud esse. Et postea. Neq; aliter de experimentis censendum est. Non omnes enim quamuis varia experiantur, experientiam adipiscuntur: neq; eos omnes expertos dicere licebit. Experientia siquidem neq; vna ex re, aut vno in tempore, aut à quopiam*

à quopiam homine colligi potest. Ea enim & multis rebus, & longis temporibus, & multa experientium sagacitate (ad hoc vt constare queat) indiget. Plura apud eundem authorem vide. Adeò nimirum.

---------- non est res vnius æui
Contemplatio naturæ, nec nititur ægris
Vnius ingenij fulcris venerabile verum.

23. *An & elementa sine permistione pura nusquam inueniuntur? Galenus libro* 1. *de elementis cap.* 5. *An tu exigis à me vt tibi ostendam in animalium corporibus terram sinceram, atq; impermistam, quam neq; tu in mundo talem potes ostendere? Nam quamcunq; ipsius portionem assumpseris, statim hæc & calorem, & humiditatem, & substantiam aëream participat, cùm tamen terra, quam pro elemento intelligimus sit maximè densa, grauis, & frigida, & sicca. Verùm vti in mundo ostendo tibi lapidem terrestre corpus, tale tibi*

monstrabo in corporibus animalium & ossium genus, & cartilaginum, & pilorum. Ex eodem genere & in testaceis animalibus quod ostracum seu testa nominatur, quod ad terræ formam est exquisitè exsiccatum atq; densatum. Quare si quæris in animalibus terram, talem potes reperire quidem etiam in mundo: impermistam autem, & integram, & solam neq; in illo facilè inueneris, sicuti neq; aquam sinceram, omnis mistionis expertem, neq; ignem, neq; aërem. Hæc enim omnia sunt adulterata, atq; alteri naturæ diuersæ commista, & secundum magis & minus simul coniunguntur. Verùm in hac mistione ab ijs qui mentem habent, elementi exuperantis forma deprehenditur. Non igitur in corporibus animalium impermistum aliquod quæras, sed tibi sufficiat hoc quidem frigidum, ac siccum, & densum inspicienti, terræ meminisse: hoc rarum, & humidum, ac fusile,

aquæ

aquæ intellectum suggerere. Hæc Galenus. Asserant ergo præstantissimi per Galliam Philosophi aëri permista esse multa vacua spatiola: an potiùs hæc non vacua spatiola sunt, sed aëri crassiori aër tenuior permistus? Huc accedant vapores, exhalationes à calore solis & stellarum affectæ. Quanta autem sit vis caloris & frigoris ad aëris dilatationem aut constrictionem manifestè ostendit Thermoscopium.

24\. *An rerum etiam visibilium naturam nullo modo assequimur? Sanctus Basilius Eunomium superbum sic compellat epistola CLXVIII. Qui igitur rerum cognitionem se apprehendisse gloriatur, is minutissimi eorum quæ nobis apparent, naturam interpretetur, & quæ sit formicæ natura dicat. An spiritu & anhelitu vita ipsius contineatur? An ossibus corpus distinctum sit? An neruis & ligamentis compositio firmata sit? An musculorum & glandula-*

rum munimento neruorum natura contineatur? An medulla à sincipite vsque ad caudam vna cum spinæ verticulis extendatur? An neruosæ membranæ ambitus membris quæ mouentur concitatoriam vim immittat? An sit in ipsa iecur, & vas fellis susceptorium in iecore, renesque, ac cor, & arteriæ, & venæ pelliculæq; ac intersepta? An nudum sit animal aut pilosum? Solidipes sit aut multifidos gressus habeat? Quanto tempore viuat? Et quis sit ipsius generationis modus? Quamdiu gestetur fœtus? & quomodo neque pedestres omnes sunt formicæ, neque omnes alatæ, sed aliæ quidem humi repunt, aliæ per aërem feruntur? Qui igitur rerum cognitionem iactat, interim formicæ naturam explicet.

25. *An Mercurius ludos facit in isto experimento, cuius & aliorum metallorum fumi vim aurifices & metallorum fossores fusoresq; experiuntur?*

26. *Quid*

26. *Quid quod Mercurij tractatio Philosophiæ Studiosis præsertim iunioribus qui nondum iudicij maturitatem consecuti sunt, periculosa existit? Vnde enim tremores manuum, aliorumque membrorum imbecillitates, celerius contingunt? Vnde surditates, paralyses, & Apoplexiæ? Tanti verò non fuerit istud experimentum, cùm nobis constet plurimos ab hydrargiri incauta tractatione obijsse, vt alij, malo suo edocti, eius naturam mirari, non rimari consulant prudenter.*

27. *Alchymistæ monstrosis, barbaris, & obscuris vocabulis, Mercurium pneumosum, cremosum, sublimatum, & præcipitatum recensent, qua de re videatur Sennertus de consensu Galenicorum & Chymicorum. Sic enim cap: 16. de Pathologia: Vt aliquid* (inquit) *in specie hac de re dicamus, ex Mercurio cremoso seu destillato Apoplexiam deducit Scheunemannus, & ex Para-*

celso fulguris exemplo declarat. Sicut nimirum fulmen sacculis illæsis nummos conflat, aut vagina illæsa ensem liquat, integra cute ossa comminuit, ita Mercurium destillatum in vnam massam cogere & colliquare cerebrum aut pulmones, haud aliter ac si cera essent ferire, penetrare, inflammare atque exurere quicquid infra cutem clauditur, ipsam tamen cutem, carnem, fibras, musculos, & cæteras molliores partes non lædere, linguæ loquelam actiuo suo halitu exurere, carnosam tamen eius substantiam intactam relinquere opinatur. Atque ex partium internarum ista colliquatione, omnia quæ in Apoplexia apparent symptomata deducit. Postea tamen illud vniuersale (quicquid intra cutem clauditur) restringit, & non omnes partes quas attingit lædere, sed potius neruos, pulmonem, & cor exurere scribit.

Verùm portenta ista opinionum sunt.

Si

Si Paracelsistis Anatomia localis quam appellant non ita sorderet, facile ex corporum Apoplexia mortuorum dissectione discere potuissent, nihil tale in Apoplexia accidere, quale pro libitu imaginantur, sed cerebrum, neruos, pulmones in Apoplexia mortuis integra reperiri. Et quid hoc monstri est, Mercurium distillatum linguæ loquelam exurere? carnosam eius substantiam intactam relinquere? Quasi verò loquela corpus sit, quod exuri possit. Summa hæc Philosophiæ ignorantia est. Neque sibi constat Scheunemannus, quomodo Mercurius ille destillatus Apoplexiam gignat. Primò enim, vt iam dictum, exurendo instar fulminis neruos, pulmones, & cor eam afficere dicit: postea tamen vt Quercetani sententiam retineat exhalationes Mercurij destillati corpora coärctare & constringere dicit, vt quasi coagulata & gelu concreta maneant. Idem certè

non

non constringit & congelat, simulque exurit. Hæc ibi Sennertus. Vnde tamen colligimus, quàm sit periculosa metallicarum istarum rerum in Philosophia & Medicinæ vsu tractatio: nisi cautio summa adhibeatur. Nobis illud antiquum placet quod refert Hesiodus.

Νήπιοι ἐδ' ἴσασιν, ὅσω πλέον ἥμισυ παντὸς
Οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τὲ καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ.

Infantes nesciunt quantò plùs sit dimidium toto.
Neq; quâm in malua & asphodelo magna sit vtilitas.

28. *An verò & ipsa rerum Natura ita se nobis exhibet, vt non integra nobis appareat, magna & præcipua parte latens & occulta? De illa vsurpat Ioannes Koëplerus Cæsareus Mathematicus illud ex Bucolicis: in libris de motu Martis.*

Malo me Galatea petit lasciua puella
Et fugit ad salices & se cupit ante videri.

Profe-

Profectò (inquit) verum hoc de natura cano ex ore Virgilij. Quo propiùs enim ad illam venitur, hoc petulantiores ludos facit, hoc pluribus anfractibus sese ipsa comprehensuro iam iamque tenenti surripit: nec tamen inuitare cessat ad se comprehendendam quasi delectetur nostris erroribus. Idem Koëplerus si benè memini, cùm motus diuersos inter se connexos in Marte obseruasset, putabat vnum ex altero per se consequi, deinde verò animaduertit per accidens. Itaque vtitur ibi hac, vel simili comparatione. In Atheniensi ciuitate per angiportum magnus transibat numerus variæ conditionis hominum, inter quos erat splendidè vestita mulier adolescentula. Atheniensibus Doxa vocabatur. Quam honesta matrona Timoclea ætate prouectior, quia nec subsistere, nec præire licebat, ponè sequebatur. Eam conspicati Lippi Logicæ Professores, putabant cum Atheniensibus

niensibus esse Doxæ pedissequam. Effusa autem illa multitudine in latè patens forum, Timoclea quidem abijt ad Mineruæ templum: Doxa autem per forum varijs intenta spectaculis pascebat oculos. His similibusq; comparationibus authores solent naturæ obscuritatem adumbrare. Ac quantò magis aliquis ad naturæ abdita progreditur, tantò magis de mentis suæ caligine solet conqueri. Sennertus cap. X. de Spiritu & calido innato, in libro de consensu Galenicorum & Chimicorum. Eadem inquit obscuritas in speciebus sensilibus occurrit: de qua iamdudum elegantissimis hisce versibus, conquestus est vir doctissimus Hieronymus Fracastorius:

Quid dicam, miserum me agere, & quam ducere vitam
Irrequietum animi, & quærentē indagine vana
Naturam semper fugientem: quæ se vbi paulum
Ostendit mihi mox facies in mille repẽte,
Ceu

Ceu Proteus conuersa, sequentem eludit & angit,
Mærentem senijque horas, cassumque laborem?
Nuper enim tenues species simulachraq; rerum
Quæ fluere ex ipsis dicuntur, perq; meare
Omnia, dum sector meditans, tacitusque requiro
Auia syluarum, & secreta silentia solus
Cognoui tādem his spectris illudier ipsis:
Vt sensus feriant nostros, sēperq; lacessant,
Perque fores caulasq; animæ ludantque, meentque
Ac remeent, ipsamque nec inter somnia linquant.

Etsi specierum istarum, quæ sensibus nostris percipiuntur, natura tàm occulta & abstrusa est: multò magis earum, quæ sensus nostros latent, natura abdita erit. Hæc Sennertus ex occasione Fracastorij carminum. Deniq; Fernelius libro 2. de abditis rerum causis cap. 18. siue sua, siue aliorum carmina refert:

Multa

Multa tegit sacro inuolucro natura: neq; vllis
Fas est scire quidem mortalibus omnia: multa (illa
Admirare modo, necnon venerare: neq;
Inquires quæ sunt arcanis proxima, namq;
In manibus quæ sunt, hæc nos vix scire putandum:
Est procul à nobis adeò præsentia veri.

29. *Ex his tot authorum testimonijs (nihil enim meum attuli) colligere licet quid sit respondendum ad hanc quæstionem:*

An Ocularis Demonstratio in rebus Physicis fallere possit?

Lectori studioso suum relinquo iudicium: neq; cuiquam author sum, vt veterem viam tot sæculis à multis tritam deserat. Fuerunt multi in Academia Cracouiensi, qui de innouata Philosophia plurima proponebant, quibus tamen post multos quæstionum labyrinthos, ad antiquam viam fuit redeundum: iuxta illud antiquum:

Vade via veteri, noua nõ vetus orbita fallit.

Ac ipse

Ac ipse R. P. Valerianus agnoscit, ni fallor, imbecillitatem sui experimenti. Ait enim in principio alterius partis Demonstrationis Ocularis: Feci (*inquit*) iuris publici opellam de possibilitate Vacui demonstrati, non tam ratione, quàm experimento fistulæ vitreæ. *At experimentum rationi consentiat oportet. Sic enim & Medici sectas Methodicam & Empiricam Rationali omnium quippè perfectissimâ examinant. Quia verò scribit ad amicum communem sibi & nobis: Quid nam faciunt vestri Cracouienses? Ego pro illis respondebo. Nouitates vt plurimùm suspectas habēt. Antiquis insistūt authoribus. Si quid noui diligentia recentiorum exhibeat non contemnunt.* Dies enim diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. *Inter antiqua Statuta Academiæ vnum hoc est, vt in legendo solùm probati obseruentur authores, qui radices scientia-*

rum & origines veritatis existunt. Talem verò in Philosophia (hac nimirum quæ foris est, vt ait noster Socotouius in oratione pro adoratione Eucharistiæ) nos iudicamus, præter alios Aristotelem: in omnibus quidem operibus sed præcipuè in Analyticis de Demonstratione, de quibus illud vetus:

Sunt flores florum libri duo posteriorũ.

Ad istam normam omnia antiquorum & recentiorum examinamus: neque nobis quicquam nouum aliquis obtrudet, quod ad leges Aristotelicas non exploremus: in ijs præsertim quæ ratione naturaliter inuestigantur. Non rationi propter Aristotelem, sed Aristoteli propter rationem assentimur. Vacuum non esse affirmamus, quia id rationibus & experientia confirmauit Aristoteles, ac præter Aristotelem plurimi Philosophi. Heronis præstantis Mathematici Pneumatica docent, quàm mirabilia fiant propter solam vacui fugam. Nihil

 Nihil adhuc ad experimentum fistulæ vitreæ, deinde alterius longioris metallicæ, respondemus: opponimus tantùm præmissa de Oculari Demonstratione primum examinanda: deinde vt ad propiora accedamus, opponimus P. Capucinum P. Capucino: R.P. F. Antonium de Rheita R. P. F. Valeriano Magno. Sic enim ad P. Antonium Illustrissimus Dominus Guilielmus Marchio à Neucastell scribit de quodam Philosopho.

Denique nuper audiui doctissimum Philosophum asserentem dari vacuum in rerum natura. Sed nullam esse rarefactionem & condensationem, &c. De quibus omnibus tuam opto opinionem. Vale.

Respondet P. Antonius Illustrissimo Marchioni, cùm ad alia illius epistolæ, ex qua fragmentum pono, tum ad vacuum his verbis clarè & perspicuè.

Sapienti autem hactenus, paucis multa vt puto locutus libenter quidem dicendi finem modo facerem, nisi inane illud monstrum vacui hactenus nunquam visum à silentio calamum retraheret. Nam hoc admisso profectò non tam vniuersi decor fœdabitur, quàm nexus rerum hactenus tam coniunctus disturbabitur, commutandaq; erit generatio deinceps in creationem, & è contra corruptio in annihilationem: viribusq; iam naturæ fieri, etsi meo iudicio haud tutè, haud piè paulatim existimabitur, quod hactenus in solius rerum ter Opt. Max. Patratoris maiestate & potentia haud minùs rectè, quàm pientissimè adorauit, admirabaturq; vniuersa rationalis creatura.

Sed vt vacuum pleniùs exhauriatur, euacueturq; dignetur obsecro Tua Illustrissima Dominatio Figuram 5. laminæ, G penitiùs inspicere, & ea quæ suprà de illa demonstrauimus, æqua ratione ponderare. Si enim in cuppa a. b. c. *aër neq; condensatur, neq; rarescit; quorsum ergò tam subitò euanescit? quauè ratione, quo motore vitri densitatem, tàm insensibiliter penetrat? vel si hoc non, cùm duo corpora nequeant simul & semel esse in eodem loco viribus naturæ, quis obsecro, aquâ ex inferiori vitro ad superius ascendente, dictum aërem tam citò annihilat? quis eadem denuò relabente*

nouum

nouum aërem, in dicta cuppa recreat? vel quis ergò cogit aquam contra naturam suam sursum ascendere? anné vacuum illud b. a c? *an agens aliud reale? Si hoc; ergò quale sit illud assignetur. Si illud: quomodo inane quid, nihil & vacuum reale corpus ciere, & in illud actiones reales, & attractiuas exerere potest? Supponamus deinde totum quadratum spatium* a. r. s. *& similiter vtrumq; vitrum intus esse vacuum; eritné hoc modo hoc corpus in loco? Quod si deniq; aqua cacabi calore suppositi ignis intumefacta & ebulliens non rarescit; vnde ergo ei illa humida augmentatio? an fortè ex igne? an ex aëre eius superficiei innatante? an deniq; ex aqua ipsa? quorum quodcunq; causam accretionis illius aquæ dixeris, meo iudicio minùs rectè, minùs philosophicè dixeris. Nam ignis remota iam & negata rarefactione, aquam suo calore potiùs minuere, quàm augere videtur, quod patet in liquoribus diu super eum ebullientibus. Aqua verò vnde sui incrementi materiam desumet? an à seipsa, an ab aëre? priùs dici nequit; quia eo ipso denuo concederetur rarefactio. Neq; secundum. Etenim aër in aquam conuertendus, necessariò magis quàm in se videtur condensandus est, si minùs, qua ratione ergò tam subitò iam in aquam conuersum introducitur in eum grauitas?*

Vnde

Vnde patet Philoſophum illum, quiſquis ſit, neceſſariò etiam commixtiones & commutationes elementorum ad inuicem negare: è contra verò multa exotica & abſurda concedere coactum iri. Cùm enim aër etſi ſua natura leuiſſimus, tamen in aquam conuerſus ingraueſcat; aqua verò in aërem tranſmutata leuideſcat, omne autem graue per condenſationem, & viceuerſa omne leue per rareſactionem fiat: profectò non video quid rareſactio & condenſatio in natura deliquerint, quod tam ſeueram relegationis è rerum natura ſententiam demeruerint: è contra neq; intelligo, quid inane illud vacuum vel naturæ, vel ſcientiæ præſtare & prodeſſe queat, quod ad tantam hæreditatis prærogatiuam ſubleuari aut adoptari ſeu à Philoſophis, ſeu à natura debeat. Et reuera mirum, imò iniquum eſſet, naturam velle aut poſſe, quod neq; Auctor eius Optimus Max. vult, aut fortè fieri intendit: ſcilicet in theatrum mundanum producendo, quod corporum mundanorum tam admiranda repletione & creatione, iam ab ipſo Deo euacuatum, ſublatumq; videbitur. Eſto autem vacuum verbi gratia inter corpus E. & corpus F. Figuræ 3. laminæ G. quam igitur, vel quomodo obſecro inter hoc & illud ſpatij dimenſionem Philoſophus ille metietur? Vel enim à ſe diſtabunt inuicem, vel non

diſtabunt:

distabunt: si hoc, vtrumq; erit ergò vnum simul, & frustra ponetur vacuum inter hoc & illud, frustraq; hoc dicetur hoc, & illud aliud. Si illud, necesse est igitur per medium quoddam illa corpora distare: at medium nullum, nihil & inane est: vbi ergo vacuum est? Deinde quicquid in rerum natura est, vel ideò esse videtur, aut vt suo modo Authoris naturæ repræsentatio, echo, & typus sit; aut vt ad aliquid sit, at vacuum nihil est, neq; ad aliquid est; vt quid ergo? vel quo fine in rerum natura est?


Deniq; si pro rarefactione & condensatione vacuo supposito, grauia sponte ascendant, leuia descendant, aut hoc fiet naturali inclinatione corporis naturalis ad illud nihilum & vacuum, tanquam ad centrum priuatiuum: aut ad impediendum supplendumq; vacuum. Si concedatur hoc: vel ergò natura acquiret suum finem & intentum ascendendo vel descendendo; vel non: si acquirit; ergo vacuum semper impediet; sin verò, igitur frustraneus ponitur ille ad vacuum in natura nisus.


Tandem quicquid in rerum machina est, ad aliquid, & aliud est. At vacuum ad nihil, & non ad aliquid est (quia quod nihil in se est, neq; ad aliquem finem, neq; ad terminum realem, & correlatiuum esse potest; non ad finem realem,

lem, quia neq; finis per nihil, neq; nihil per finem aliquid acquirit aut molitur: non ad terminum, quia nullus est terminus, nisi alicuius sit terminus. Cùm ergo vacuum nihil sit; qua ratione ad aliquem terminum esse potest?) ergò vacuum in rerum natura neq; datur, neq; viribus rerum patratarum dabile est.

Habes itaq; Illustrissime Domine, hisce quidem meam mentem, sed nescio an etiam tuam & aliorum. Hoc autem æquissime rerum & scientiarum æstimator semper agito, vt nihil in mentem recipias, neq; aliquid fortè iam receptum foueas AVT NATVRÆ, AVT RATIONI, AVT DIVINÆ deniq; MENTI repugnans. Vale, & me Tibi, Teq; mihi semper integrum, vti cæpisti, habeas. Antuerpiæ, Kalendis Augusti, M. DC. XLV.

In sequentibus figuris sunt quædam literæ, ad Libri 3. caput 3. membrum 4. pertinentes, vbi præclarè R. P. Antonius, cùm de fluxu, & refluxu maris, tùm contra vacuum disputat, quem LECTOR beneuole vide, & VALE.


a
b
c
d
e
n
o
f
g
i
u
m
l
r
s


L
d
i
c
f
e
H
K
g
K
Z
m
E
F
A
u
a
x
s
n
x
y
D
G